



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

13. Avxibivs diebus ieiunij pinguedinem ex lardo & adipe pro cibus familiæ suæ condiendis adhibens non peccat mortaliter, si absit scandalum &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

scilicet dignitatem non sumi à respectu spiri-
tuali v. g. quod intra templum, prope altare
&c. sed ab aliqua humana & civili æstimati-
one; imò Palao Tr. 17. D. 3. de Simon. p. 8 in
fin. putat, etiam priore respectu accipi posse
pretium, non quidem rigorosum, & datum in
commutationem illius excessus & dignitatis,
sed latè acceptum, & datum in sustentatione
ministorum, sicuti qui pro Missa maiori
plus exigeret. Ad 2. Negamus consequen-
tiam; nam in Beneficijs Ecclesiasticis omnis
vera pactio specialiter prohibita est C. vlt. de
pactis, quod non in sepultura & alijs contin-
git.

XIII. *Auxibius Lanio catholicus frequenter
diebus ieiunij tam extra, quam intra Quadragesi-
mam pro cibis familiae suae condiendis adhibet pin-
guedinem ex lardo, & adipe, cum tamen opulen-
tus sit; quod aduertentes famuli deferunt ad Con-
fessarium, & scire cupiunt, num ex cibis talibus
comedere possint. Queritur 1. Vtrum Auxibius
peccet mortaliter adhibendo talem pinguedinem?
2. Quid Confessarius dicat, famulis faciendum
esse?*

Videtur Auxibius peccare mortaliter. Ita
præter alios Layman L. 4. Tr. 8. c. 1. n. 5. Tum
quia eodem præcepto prohibetur hæc pingue-
do diebus ieiunij, quo caro. Tum quia con-
suetudo est recepta, & communiter homines
reputant mortale, adhibere pinguedinem ex
lardo

lardo & adipe diebus ieiunij; unde & famulis ab hisce cibis abstinendum, cum æquè hos, ac ipsum Dominum obliget commune Ecclesiæ præceptum.

Resp. 1. Auxibium, si absit scandalum graue, erronea conscientia &c. probabiliter non peccare mortaliter, adhibendo talem pinguedinem diebus ieiunij. Ita Glossa in C. *Presbyter*, Hostiensis, Abbas, & alij, quos nouissimè sequi videtur Facundez præcepto 4. *Ecclesia*. l. 1. c. 2. n. 20. Ratio est, quia pinguedo, cum iuxta Aristotelem non sit caro, etiam non computatur inter carnes, sed inter oua & lacticia, quibus vtrisque in loco, vbi habitat Auxibius, vesci licet diebus ieiuniorum; quid sit de nonnullis alijs locis, in quibus lacticia, non tamen oua permissa sunt.

Resp. 2. Confessarium posse permittere famulis esum ciborum tali pinguedine conditorum, & omnem eis scrupulum eximere debere, quod etiam in sua sententia fieri vult Layman *lo. cit.* addens etiam cum Dominis & quidem ditioribus dissimulandum, si non possint commodè abduci; quæ certè parùm cohærenter docet cum adductis fundamentis suæ doctrinæ.

Ad 1. in contrarium negamus, eodem præcepto prohiberi carnem & pinguedinem, cum hæc, vt diximus, inter oua & lacticia computetur, à quibus abstinendi minorem esse

obligationem, vel hinc patet, quod habens dispensationem ad comedendas carnes, non teneatur ieiunare: sicut tamen habens dispensationem ad comedenda oua & lacticia adhuc ad ieiunium tenetur. *Ad 2.* dicimus, hanc consuetudinem non introductam esse absolute & liberè animo se obligandi, sed initio ex deuotione mera: postea verò ex errore creditum, adesse obligationem; quod autem ex errore vim legis habere putatur, eandem non habet, etsi omnes illud obseruent, idque defectu voluntarij, quod per errorem interuenientem tollitur, vt optimè Facundez lococit. num. 14.

XIV. *Bechtoldus emit torque aureū à Rechario, quem iste ait se hereditate à Maioribus suis accepisse, & graui necessitati, quā iam premitur, levanda hætenus reservasse. Sed post aliquod tempus deceptū se cōperit, & torque illū noto euidā Domino furtim sublatum esse agnoscit, cui tamen restituere nequit absque probabili periculo pretij, quod expendat, perdendi. Adit ergo Recharium, & resiso contractu, redditoque torque pretium suum repetit, recipitq; haud ignarus, hunc statim se subducturum, nec furtum domino restitutum. Queritur. Vtrum Bechtoldus facere hoc licitè potuerit?*

Videtur non potuisse, sed torque Domino suo, non furi reddere debuisse. Ita Caietan. Covarr. Medina, Molina *de Iustit. Tom 3. Disp. 722.* & alij apud Dianam. P. 1. Tr. S. Ref.